



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1644. usque ad annum 1651

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1779

VD18 90119177

§. 71. Caroli I. Regis copiæ iterata clade a rebellibus fusæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67359)

Sæc. XVII. hæc Independentium secta, fusius de A. C. 1645. scribit Hornius in sua Historia, & luculenter testantur innumeræ hæreses, & cædes, quibus postea Angliæ Regnum funestabatur.

§. LXXI.

Caroli I. Regis copiæ iterata clade a rebellibus fusæ.

Rusworth.
Vol. 6. p. 27.
Mem. de'
Witlock
pag. 146.

Igitur Thomas Fairfaxius pro commissa sibi auctoritate Cronwello negotium dabat, ut Robertum Palatinum Principem, ne cum bis mille Equitibus sese Regiis copiis jungeret, præpediret, qui etiam prope Oxonium fuso regio Equitatu Bencklingtoniam arcem occupavit, illam Windebankio juniore ad primam provocationem dedente, quem postea Rex ob ignaviam suam glande trajici jussit. Sub idem tempus Marmaducus Fairfaxium non sine clade a Pontefracti obsidione repulit, huicque urbi suppetias intulit, Robertus vero Princeps rebellium agmen Ledburii fudit. Prospero hoc armorum successu animatus Carolus Rex, ipsemet cum exercitu suo Licestriam movit, hancque urbem vi occupavit, promotisque castris Oxonium contendit, ut hanc urbem a Fairfaxio cinctam obsidione liberaret; postquam vero hunc

omissa

omissa hujus urbis obsidione, a Borstulensi arce desideratis suorum quamplurimis repulsum fuisse compererat, totis copiis cum hoste contendere statuit. Dies erat vigesima quarta Junii, qua Rex in editiore loco prope Nazebyum aciem latius extendit, ac ipse ante prima signa procedens, milites suos ad strenue pugnandum hortatus est. Jam dato signo Robertus Princeps in lævum hostis cornu invehitur, & post pertinax certamen Equitatum solutis ordinibus in fugam agit: Instat fugientibus Regius Eques, illosque Nazebyum usque propellit: inde vero Princeps reversus, tormentorum suggestus hosti eripere molitur, improvido prorsus consilio; cum enim in dextero cornu Cronwellus Regios Equites vehementer urgeret, ac demum acie excedere compelleret, mox strenue in prælium reversus, peditatum, quem Rex jamjam pæne proculcaverat, restitutis ordinibus ad prælium reduxit, Regiosque pedites retrocedere compulit: Tum vero rebelles a fronte & a tergo Regios urgent, quia Rex numero inferior, ac insuper Roberti Principis Equitatu destitutus resistere haud poterat: Accessit quoque ad calamitatis cumulum quod reverso ad pugnae locum Roberto Equites regii nec mandato, nec minis
aut

Sæc. XVII.

A.C. 1645.

Sæc. XVII. aut precibus ad incessendum hostem
 A. C. 1645. induci possent: quocirca Rex, ut præ-
 lium restauraret, cum unica Equitum
 ala & exiguo peditum agmine in me-
 dium belli discrimen se transferre co-
 gitur: Obequitat agmen suum, facta-
 que victoriæ spe suis animum reddere
 fatagit, ipseque cominus cum hoste
 pugnaturus, gladium strenue stringit,
 cum ex Scotis Proceribus quidam Re-
 gem, ne manifesto vitæ periculo se ex-
 poneret, hortatus, arrepto fræno ipsius
 equum ad dexteram partem inflecteret,
 quo conspecto Equites Regem fuga sibi
 consulere rati, laxatis habennis, qua
 cuique ad fugam patebat via, erum-
 punt, secumque pedites eadem fuga
 involvunt. Cogitur ergo Rex hosti vi-
 ctoriam, belli tormenta, sarcinas, om-
 nemque belli apparatus relinquere,
 unacum quinque captorum millibus,
 & desideratis plusquam sexcentis in
 prælio cæsis. Hac victoria animati re-
 belles, plurimas urbes qua vi, qua de-
 ditione subegerunt, Rex vero, cum
 exercitum suum reparare haud ultra
 posset, post iteratas suorum clades pri-
 mo Nevarcam, & postea Oxonium a
 suis derelictus secessit.

§. LXXII.